


CANCELL:  
MARTIS B:  
. 1.7 17:.



oo Da



AD  
 DISPUTATIONES PUBLICAS  
 IN  
**LOGICÆ ARISTOTELICÆ  
 VESTIGIA,**  
 QVANTUM AD DOCTRINAM DE  
**ACCIDENTE**

A THEOLOGIS ORTHODOXIS PRESSA,  
 NEC NON IN

**ALIA QVÆ HUC E SACRIS  
 ET PROFANIS MONUMENTIS FA-  
 CERE POSSUNT, ILLUSTRATIONIS  
 GRATIA SUBJUNCTA,**

*HORIS ANTEMERIDIANIS X. ET XI.*  
**INAUDIT: PHILOSOPH. ADORNANDAS  
 PHILOSOPHIÆ CONSECRANEOS  
 EA, QVA DECET, HUMANITATE**

INVITAT  
**L. CHRISTIANUS LUDOVICI, P.P.**





Ntequam lector ipsum dissertationum campum ingredia-  
tur, Iustratum ibi Logicæ Peripateticæ vestigia, quæ a  
Theologis Orthodoxis superioris XVI. & XVII. seculi in  
doctrina de Accidente Prædicabili pressa, a nobis vero in  
dictis dissertationibus signata fuerunt; e re esse duxi-  
mus, ut quantum ad Articulum de Peccato Originis, hic  
fere utramque paginam faciente, confusio, adde & sini-  
stra de uno alteroque Theologo iudicia antevertantur,  
eum de nonnullis præmoneri. Licet enim laudati Theologi Accidentis Por-  
phyrianam definitionem: *Accidens est, quod adest & abest sine subjecti cor-  
ruptione*, pro ratione illorum temporum usurpaverint fere omnes, non æque  
tamen omnes eam eodem sensu interpretando explanarunt, sed alius hoc, ali-  
us alio, prout scilicet quisque in scholis Logicorum nactus fuerat præcepto-  
rem, sensum definitionis pulchre vel minus callentem. Licet etiam ad ar-  
gumentum Flacianorum, cuius Majorem hæc ipsa definitio, Minorem scriptura  
suggerit: *Accidens est, quod adest & abest sine subjecti corruptione. Pecca-  
tum Originis non adest sine subjecti corruptione, Er. P. O. non est accidens*, respon-  
derent fere omnes, non tamen omnes eodem modo respondebant. Erant,  
qui Porphyrii definitionem imperfectionis postulabant. Nam cum ipsis  
ex Rom. VII, 7. 21. Hebr. XII, 1. fide divina pro certo constaret, peccatum  
Originis esse accidens: cum ex Rom. VII, 17. Hebr. XII, 1. Gal. V, 17. fide  
divina maneret & fixum esset, hominis naturam peccato Originis profunde  
corruptam esse, Porphyrii contra definitio negaret, subjectum ab ullo acci-  
dente corrumpi, definitio Porphyriana, ut Spiritus S. testimonio sua constaret  
autoritas, deserenda videbatur. Quare *Hutterus in LL. CC. Theologicis Ar-  
tic. IX. de Peccato, cap. I. p. 320.* ait, se dicam scribere nolle iis Logicis, qui de-  
finitionem Porphyrianam non omni Accidenti competere statuunt. *Græ-  
verus in Praelectionibus Academicis in Augustanam Confessionem Artic. II. de  
P. O. p. 210.* autumat, eam vel non esse universaliter veram, sed duntaxat de  
positivis & inhærentibus accidentibus accipiendam, vel non copulative sed  
disjunctive interpretandam. *Balthasar Meisnerus in Anthropologia Dec. I. Dis-  
put. VI. p. 177.* & ex eo *Ebartus in Enchiridio Theologico Positivo-Polemico* lo-  
co IIX. de P. O. p. 250. Definitionem tantum superficialem, non accuratam,  
accidentis communis, non omnis esse perhibet. *Cromayerus in Theologia Por-  
phyrii*

*stivo-Polemica Artic. IIX, de Peccato* coniectat, eam non una *ev-doci* posse  
infringi; cuius coniecturæ accedit *Quensledt in Syst. Theol. P. II. p. 132.* defini-  
tionem Porphyrii, sub qua triumphat adversarii, non omni accidenti com-  
petere persuasus. *Simon Musæus in Repetitione & Confirmatione Orthodoxæ*  
*Sententiæ de P. O.* definitionem puerilem & nimis exilem vocat, quæ nullo  
modo gravitati P. O. respondeat, substantiæ vero corruptionem excludat. Et  
parum abfuit, quin ea a Philosophis Christianis e sphaera artis ratiocinandi  
prorsus exulare juberetur. Multis tamen, ut & Porphyriana definitioni suus  
valor maneret, tutius videbatur rem omnem distinctione vocis *Corruptio-*  
*nis* expedire. Sed quanta hic in distinguendo varietas! Nam nec omnes  
Doctores eadem distinctione utebantur, nec unam distinctionem eodem sen-  
su explicabant, nec una eademque ratione ad argumentum applicabant,  
ut, ni lectoris auris ante pervellatur, is facile his confundi, vel & ipsi  
distinctionum autores oscitationis aut contradictionis rei peragi possint.  
Poterunt vero in quinque potissimum classes distribui, quotquot ex Theolo-  
gis Flacianorum telum distinctione vocis corruptionis elidere contende-  
debant, quos, quantum per nos licebit, ad concordiam revocabimus, vel po-  
tius concordia inter se conjunctos docebimus. Nonnulli partiuntur *corru-*  
*ptionem* in *physicam* seu *essentialem*, qua res aut rei forma essentialis prorsus  
pessumdat, & in *accidentalem* seu *improprie dictam*, qua non res ipsa destrui-  
tur; sed rei qualitates & formæ accidentales deformantur. Ita hanc parti-  
tur *Hutterus l. c. Loco IIX. de Imagine Dei & justitia Originali p. 305. quarto,*  
*inquit, notanda venit æquivocatio in vocabulo corruptionis, sub quo ludit Illyri-*  
*cus, alia enim est corruptio physica sive essentialis, qua res prorsus destruitur, & a*  
*philosophis definitur: motus ab esse ad non esse, ut e. g. quando homo moritur,*  
*tum talis corruptio intervenit, ut ne corpus quidem amplius dici possit corpus,*  
*sed cadaver potius, & homo cum definitione nomen quoque amittat. Alia vero*  
*est corruptio accidentalis & improprie sic dicta, nam proprie loquendo corruptio*  
*non nisi generationi physice opponitur, teste Philosopho lib. I. de ortu & interitu.*  
*Accidentalis vero hæc corruptio fit, ubi manente substantia qualitas deformatur,*  
*& sic substantia non simpliciter sed secundum quid corrumpi dicitur. Cum*  
*Huttero faciunt, & ex Huttero eadem fere verba repetunt Cundisius in Notis*  
*ad Hutteri Compendium Theol. loc. IIX. de P. O. p. 598. Ebartus in Enchir. Theol.*  
*Pos. Pol. Art. de Peccato, p. 250. Quensledt in System. Theol. Posit. Polem. P. II.*  
*Artic. de Peccato p. 134, num. 10. Utraque corruptionis species accidentalis æ-*  
*que ac essentialis, si mentem Hutteri spectes, physica est & propria corruptio,*  
*et si*

etsi is solam essentialem nomine corruptionis physicae insigniat. Absit enim existimemus essentialem corruptionem, tanquam physicam & propriam, ab Huttero absolute contradistingui corruptioni accidentali, ceu non physicae & impropriae, ut primo intuitu videtur. Haud latere potuit etiam rerum philosophicarum recondita doctrina nobilissimum Theologum, qualitates corporis naturalis non minus, quam corpus naturale ipsum ingredi circum physicum, adeoque, quae in qualitatibus ac accidentibus physicis contingit, corruptionem, aequae physicam nuncupari posse, ut physica nuncupari convenit, quae ipsa substantia evertitur: neque eum latere potuit, quod in accidentibus corrumpitur, id ipsum vere & proprie corrumpi. Quod is vero nihilominus solam essentialem nomine physicae corruptionis indiget, non alia subest causa, quam quia stylo Peripateticorum Physicorum innutritus physicam corruptionem stricte interpretatur, prout nonnisi ea destructio, quae generationi opponitur, & quae tota substantia evertitur, in pulpitis physicorum corruptio appellatur; quae vero in qualitatibus existit, non corruptionis sed alterationis nomine usitate venire solet. Accedit & hoc, cum voce accidentalis corruptionis moralis & theologica includatur, si accidentalem dicere velimus physicam, eam inadaequate ita dici. Non ergo negat accidentalem corruptionem esse ex parte physicam, sed eam a physicis appellari corruptionem, hoc est, quod negat: similiter haud negat corruptionem accidentalem propriam esse corruptionem, sed eam proprie i. e. usitate & communiter in physicis dici corruptionem, hoc est, quod negat. Haec de distinctione ejusque sensu in se. Distinctionis applicationem ad argumentum Flacianorum quod attinet, apposite omnino negatur Minor, h. e. negatur P. O. non adesse sine physica & omnimoda essentiae humanae corruptione. Quemadmodum enim non adesse P. O. absque virium seu naturalium, seu moralium, cheu! horrenda disperdite, nec sine spiritualium virium existenti everfione ut largiamur, tristibus experimentis didicimus, ita ipsam substantiam eadem pessumdari & scriptura & ratio reclamat. Conferatur idem Hutterus Artic. IX. de P. O. ubi praeterea animadvertit, Lutherum, ad quem provocabant Flaciani, διαφθίνην negasse, homini ex lapsu essentialem corruptionem evenisse. Hoc unicum forte in Hutteriana applicatione quis jure desideraverit, quod de physica potius quam Logica corruptione contra Porphyrii mentem, majorem accipiat. Alii Theologorum corruptionem in *physicam & Logicam*, quam & Metaphysicam appellant, dividunt; utque utramque faciunt essentialem, ita illam in reali, hanc in mentali essentiae de-

stru-

structione (quam & repugnantiam nuncupant) consistere ajunt. Hos inter est *Job. Musæus in Praelectionibus in Form. Conc. Artic. I. de P. O. p. 87. Verum, inquit, in Definitione Porphyriana nihil praesidii inveniunt Flaciani. Nam quod dicitur, accidens posse adesse vel abesse citra subjecti corruptionem, id solet a philosophis explicari dupliciter (1) physice de reali inbarentia in subjecto, ut & de corruptione physica terminative sumpta, hoc sensu: Accidens est, quod potest subjecto inherere, & a subjecto etiam removeri, ut tamen essentia subjecti non destruat. (2) Logice, vel, ut alii loquuntur, metaphysice, prout adesse est predicari, abesse vero negari de subjecto, sine subjecti corruptione, vel sine contradictione, hoc sensu: Accidens est, quod potest affirmari aut negari de subjecto, citra corruptionem vel contradictionem, vel ita, ut inter predicatum & subjectum nulla involvatur repugnantia vel contradictio.* Musæo concordant Cromayerus L. c. p. 378. & Quenstedt l. c. p. 134. num. XI. Hic sane nihil ubique est, quod lectorem offendere queat. Recte distinguitur inter corruptionem essentialem physicam, de qua Majorem Theologi vulgo accipiebant, & Logicam, de qua ea ex mente Porphyrii interpretanda est: distinctio rite explicatur; nam una Species essentialis corruptionis physica quidem dicitur, sed cum addito, *terminative talis*, ut indiget, esse & aliam physicam, quæ terminative talis non sit, puta corruptionem accidentalem, quam & Hutterum non negasse modo diximus. Apposite tandem applicatur, quod sive de physica corruptione explicetur definitio Porphyrii & Major propositio, sive de Logica, quam explanationem Musæus suam facit, eam Peccato Originis recte competere. Minorem vero propositionem, uter etiam significatus locum habuerit in majore, falsam esse. Cum Musæo, quantum ad applicationem, conspirat Quenstedtius Logicam in Majore, non physicam, significari ajens. Sed quid audio, inquires, atqui Quenstedtius paulo ante l. c. contenderat, Porphyrium de physica corruptione loqui: num eadem pagina sibi ipsi aperte contradicit Theologus? salva res est, modo de fabrica & ratione Systematis Quenstedtiani constiterit? surrexit opus in hanc molem viri celeberrimi laudabili opera ex Theologorum Orthodoxorum, quibus suas concorditer junxit, exquisitissimis sententiis extructum ita, ut non minus Systema multorum Theologorum, quam theologicum inscribi possit. Utinam vero, & hanc operam in bonum publicum jungere licuisset, ut ubicunque in eadem controversia duo pluresque theologi fronte adversa concurrere, & in verbis distracti esse videntur, concordiam tentasset. Quin hoc pacto haud exiguus laudum cumulus operi inepulcherrimo accessisset, nulli dubitamus. Superest ex hac classe Cromayerus,

rus, qui in applicatione Hutterum sequutus, physicam corruptionem in Majori designari totidem verbis asserit, quam bene, supra memoravimus. Rursum alii corruptionem in *physicam & logicam* dividunt, & physicam quidem accidentalem faciunt, in accidentium depravatione positam, Logicam vero essentialem, in essentiali reali destructione, nec non in mentali s. contradictione consistentem. Præ reliquis hic nobis nominandus est Balthasar Meisnerus in Anthropologia Dec. I Disp. VI. de P. O. n. 59. p. 177. ita differens: *per corruptionem Porphyrius non physicam intelligit, quæ in depravatione & mala subjecti affectione consistit; sed logicam quæ essentiali destructionem & repugnantiam contradictoriam infert. Nam quocumque vel presente vel absente rei essentiali non statim destruitur aut negatur, illud Porphyrio accidens est. Hoc vero ipsum ad peccatum applicari potest. Nam etiamsi separaretur peccatum, uti separabitur in extremo die, non tamen corrumpitur subjectum, i. e. essentiali non destruitur aut negatur, sed homo erit & manebit verus homo. Sicut enim morbus ledit quidem corpus humanum, ejus essentiali tamen non tollit, cum homo agrotus etiam verus sit homo: ita peccatum læsit quidem & contaminavit naturam, non tamen substantialiter corrumpit vel sustulit ejus essentiali omnem, cum homo peccator tam sit homo, quam is, qui peccato caret.* Discordat Meisnerus in expositione divisionis a Theologis hæctenus memoratis omnibus in eo, quod logicam & in reali & in mentali essentiali destructione constituat, physicam vero tantum in accidentium depravatione atque mala subjecti affectione quærat. Nisi me omnia fallunt, ad mentem Meisneri divisio in corruptionem logicam & physicam nulla in re discrepat ab ea divisione, qua corruptio in essentiali & accidentalem distribuitur, de qua infra dicemus. Rationem vero denominationis, & cur essentiali corruptioni ceu generi, nomen Logicæ indiderit, cum quædam corruptio essentialis sit physica non logica; accidentalem autem nomine physica corruptio vocet, cum & quædam accidentalis sit moralis & theologica, non physica, juxta cum ignarissimis scio. Caterum membra divisa accommode applicat, & recte negat Porphyrium de physica h. e. de accidentali loqui, cum logica ipsi omnino inter definiendum ob oculos versata fuerit; Logica, inquam strictè dicta, in essentiali destructione mentali & contradictione consistens; nam si in amplitudine ea sumatur, ut essentiali destructionem realem comprehendat, non undiquaque turo adstruitur, majorem de logica esse capiendam, quia instantiis infringi potest a morte, incendio & similibus, quæ non adsunt, absque subjecti destructione reali. Minorem, si Major de Logica corruptione intelligatur, negandam esse, quod Meisnerus facit, extra dubium est. Adhuc



huc alii Theologi distinguunt inter corruptionem *physicam*, qua essentia reatiter destruitur, & *Logicam*, qua qualitates & accidentia perduntur. Qui cum *physicam* faciunt essentialem, *logicam* contra accidentalem, quis non videt, eos a Meisneri expositione recedentes in omnia alia abire; quamvis non meminerim me istam distinctionem alibi, quam in Affelmanni Appendice loco X. de Peccato p. 134. legisse, his quidem verbis conceptam: *Distinguendum inter corruptionem physicam seu essentialem & logicam seu accidentalem. Hac non illa intelligitur. Peccatum enim adest homini absque subjecti corruptione essentiali, licet non adsit absque horrenda virium & qualitatum tam interiorum, quam exteriorum animi & corporis corruptione.* Insolens quid est, quantum ad expositionem, accidentalem corruptionem nomine *logicae* corruptionis insignire, quod hic factum videmus. Ego, si quid conjectura assequi valeo, putarim ex inadvertentia quadam factum esse. Nimirum *physica* opponitur aliquando *accidentali*, eademque *physica* alibi *logicae* corruptioni opponitur. Credidit ergo distinctionis autor, quicumque tandem fuerit, Affelmannum fuisse dubito; vel saltim curas secundas ab eo adhibitas nego, accidentalem corruptionem eandem esse cum *logica*. Irrepere vero haud raro in posthuma clarissimorum virorum scripta hos similesve nexos quis dubitat? vel sola Patrologia incomparabilis & in historia Ecclesiastica versatissimi Theologi Hülsemanni luculento nobis exemplo esse potest, cujus nonnulla *καταρρομα* in Notis, quas ad Thomæ Ittigii Schediasma de Autoribus, qui de Scripturis Ecclesiasticis egerunt, p. 32. seq. adjecimus notata videri possunt. In applicatione recte conceditur Minor de corruptione *logica* in eo sensu, quo hic *logica* corruptio supponitur. De *Majore*, quæ cum Huttero de *physica* corruptione accipitur, vid. superius dicta. Tandem alii Theologi corruptionem partiuntur in *Logicam* & *Theologicam*, & *Logicam* quidem in contradictione, *Theologicam* vero in depravatione virium spiritualium, non tamen exclusis naturalibus & moralibus, consistere aiunt. Vindicat sibi distinctionem Cromayerus, atque ita ad argumentum accommodat, ut Minorem de corruptione *Theologica* concedat, neget vero de corruptione *Logica*. Quod si insuper Major de *Logica* interpretaretur, cujus vero contrarium e supra dictis manifestum est, plana & expedita essent omnia. Hactenus de plerisque Theologorum distinctionibus, earundemque expositione & applicatione. Quibus ut discussa, si qua superest, caligine, lux quædam affundatur, distinguimus primo inter corruptionem *essentialem* & *accidentalem*, essentialem porro dividimus in *physicam*, qua essentia re ipsa prorsus evertitur, & *logicam*, qua essentia per contradictionem tollitur:

tur:

ur: denique accidentalem in *physicam*, *moralem* & *Theologicam* dispeſcimus, ista vires in naturalibus, illa vires in civilibus depravantur, hac vires in spiritualibus evertuntur. Applicamus distinctiones hunc in modū ad Flacianorum Syllogismū: Major agit de corruptione essentiali logica, nec ulla instantia labefactatur. Minor negatur, si de corruptione essentiali logica & physica intelligatur; omnino enim adest P. O. sine corruptione logica, h. e. nō repugnat hominē esse, & esse peccato O. intime corruptum: Conceditur vero Minor de corruptione accidentali physica, morali & theologica, cum P. O. nequam in homine sit citra depravationem virium in naturalibus & civilibus, & citra eversionem virium spiritualium; Quæ præterea difficiles explicatus habent in aliis theologorum n̄ testimoniis productis, alia occasione in Dissertationibus ipsis monebimus. Nunc dicendum est de scopo nostro, eo collineante, ut placita Logicæ Aristotelicæ, ejusque pressa a Theologis orthodoxis vestigia in doctrina de Accidente publicæ disquisitioni in XII. Dissertationibus exponamus hoc ordine. *Priores sex* dissertationes ipsa vestigia dabunt, *septima & octava* vocem קקרה *accidens*, cum cognatis e sacris literis & Rabbinica literatura explanabunt, *nona* Accidentariorum, & qui alias occasione doctrinæ de Accidente lapsi sunt in religione, errores ex historia Ecclesiastica referet, *decima & undecima* Flacianorum aliorumq; hallucinationes in eadē materia ex libris symbolicis narrabit, deniq; *duodecima* recentiorum Logicorū placita & meditationes cū Aristotelicis conferet. Quod institutum nostrum tantū abest, ut caste philosophantibus, nec vaga libidine abreptis perfide ex quavis levi vel causa vel prætextu legitimæ sociæ repudiū dicentibus, displiceat, ut potius prompti se obtulerint nonnulli juvenes ingenii, morum & doctrinæ elegantia conspicui, alia logicorū placita ita admirantes ut Aristotelica non averſentur, non ludibrio exponant, non exturbent; imo &, quod orthodoxia se cum iisdem amice conjunxerit, vel ideo justo pretio habeant. Nec quicquam super est, quam ut benignissimum Numen coepita secundet, philosophiæ doctores suis oppositionibus, & Generosissimū Nobilissimique studiosi sua præsentia nobis benevoli adsint. Nos in eo erimus toti, ut gratiam divinam, quantum per infirmitatem humanam datur, pie deprædicemus, operam vero Dominorum opponentium & affectum præsentium reciprocis officiis & studiis pro viribus demeremur. Dab. Lipsiæ

Domin. IX. post. Trinitatis A. M DCC XIII.

LIPSIÆ,

LITTERIS JOHANNIS GOTTLIEBII BAUCHII.

Elenchus

## E L E N C H U S

Theologorum Orthodoxorum vestigia Logicæ Peripateticæ in  
doctrina de Accidente prementium.

### A.

*Affelmannus* (Jo.) Theologus Rostoch.  
*Aberri* (Valentinus) Theol. Lips.  
*Argentoratense* Collegium Theologicum.  
*Auerbachius* (David) Theol. Misnensis.

### B.

*Balduinus* (Fridericus) Theol. Witeberg.  
*Bebelius* (Balthasar) Theol. Argentorat.  
*Bebmannus* (Fridemannus) Theol. Jenensis.  
*Bosfacius* (Jo.) Theologus Dantiscanus.  
*Brochmannus* (Caspar Erasmus) Theologus  
Hafniensis.

*Bulæus* (Christophorus) Theologus Misnensis.

### C.

*Calovius* (Abrahamus) Theol. Witebergensis.  
*Carpozovius* (Jo. Benedictus) Pater, Th. Lips.  
*Carpozovius* (Jo. Bened.) Filius, Th. Lipsiensis.  
*Censura* Theologorum Orthodoxorum de  
erroribus Latermanni.

*Chemnitius* (Martinus) Theol. Brunsvic.  
*Chemnitius* (Christianus) Theol. Jenensis.  
*Colevus* (Jacobus) Theologus Lips.  
*Carbmannus* (Jo.) Theol. Rostochiensis,  
*Cromayerus* vel *Kromayerus* (Hieronymus)  
Th. Lips.

*Cundisius* (Gothofredus) Theol. Jenensis.

### D.

*Dannbauerus* (Jo. Conradus) Th. Argentin.  
*Debelius* (Jo.) Th. Jenensis.  
*Deciffo* solida quatuor Articulorum contro-  
versorum.

*Dedeckenus* (Georgius) Th. Hamburgensis.  
*Deucerus* (Jo.) Schlaccenvaldensis Theol.  
*Dietericus* (Conradus) Theol. Ulmenfis.  
*Dorfebus* (Jo. Georg.) Theol. Argentinenfis.

### E.

*Ebartus* (Jo.) Th. Mansfeldicus.

### F.

*Fauftus* (Isaacus) Theol. Argentoratensis.  
*Fauftus* (Jo.) Theol. Argentoratensis.

*Feurbovnius* (Justus) Theol. Marpurgensis &  
Giesiensis.

*Finckius* (Caspar) Th. Giesiensis.

*Fisfberus* (Samuel) Th. Jenensis.

*Formule* Concordiæ declaratio.

*Försterus* (Jo.) Theol. Witebergensis.

*Francofordiane* Academice Facultatis Theo-  
logicæ Censura de Menii Confessione.

*Franzius* (Wolfgangus) Theol. Witeberg.

*Fröveyseuius* (Isaacus) Th. Argentoratensis.

### G.

*Geierus* (Martinus) Th. Lipsiensis.

*Gerhardus* (Jo.) Th. Jenensis.

*Gerhardus* (Jo. Ernestus) Th. Jenensis.

*Gerlachius* (Stephanus) Th. Tubingensis.

*Gifsenius* (Jo.) Th. Giesiensis.

*Glossius* (Salomon) Th. Gothanus.

*Gropius* (Zacharias) Th. Rostochiensis.

*Græuerus* (Albertus) Th. Jenensis.

*Grosß* (Christianus) Th. Sedinensis.

*Grünberg* (Jo. Petrus) Th. Rostoch.

### H.

*Haberbornius* (Petrus) Th. Giesenf.

*Habichorßius* (Andr. Daniel.) Th. Rostoch.

*Hafenrefferus* (Matthias) Th. Tubingensis.

*Harnickenius* (Philipp, Ludov.) Th. Witeb.

*Harbart* (Burchard.) Th. Lips.

*Heinrici* (Daniel) Th. Lips.

*Hesslthelin* (Jo.) Th. Clivo-Vesaliensis.

*Himmelius* (Jo.) Th. Jenensis.

*Höfer* (Jo.) Th. Saxonicus.

*Höfßnerus* (Henricus) Th. Lipsienf.

*Höpnerus* (Jo.) Th. Lips.

*Hoffmannus* (Daniel) Th. Helmstädiensis.

*Hoffmannus* (Mattheus) Th. Svidnicensis.

*Hülsemannus* (Jo.) Th. Lips.

*Hunnius* (Egidius) Th. Marburg. & Witeb.

*Hutterus* (Leonhardus) Th. Witeb.

### J.

*Jenensium* Confutatio Errorum præcipuorum

*Jtigus* (Thomas) Th. Lipsiensis.

K. Kor-

## K.

*Kortboldus* (Christianus) Th. Kiloniensis.  
*Kunadu* (Andreas) Th. Witebergenfis.

## L.

*Langius* (Christianus) Theol. Lipf.  
*Langius* (Samuel) Theol. Lipf.  
*Lebmannus* (Georgius) Theol. Lipf.  
*Lyferus* (Wilhelmus) Theol. Witeb.  
*Lutberus* (Martinus) Theol. Witeb.

## M.

*Major* (Jo.) Th. Jenensis.  
*Mansfeltorum* Theologorum Confessio ad-  
 versus præcipuas hæreses, errores vel  
 sectas eorum, qui a verbo Dei & Con-  
 fessione Augustana discedunt.  
*Marbachius* (Philippus) Th. Heidelbergenfis.  
*Masius* (Hector Gothofredus) Th. Hafnienfis.  
*Matthæus* (Joh.) Th. Witeberg.  
*Matthias* (Christianus) Theol. Altorffenfis.  
*Meisnerus* (Balthasar) Th. Witeb.  
*Meisnerus* (Joh.) Theol. Witeberg.  
*Menius* (Nicolaus) Theol. Grunbergenfis.  
*Mentzerus* (Balthasar) Theol. Gief.  
*Mislerus* (Jo. Nicol.) Th. Giffensis.  
*Mæbius* (Georgius) Th. Lipsienfis.  
*Museus* (Jo.) Th. Jenensis.  
*Museus* (Simon) Th. Saxon.  
*Mylius* (Georgius) Theol. Jenensis & Witeb.

## N.

*Neumannus* (Jo. Georg.) Theol. Witeb.  
*Nicolaus* (Melchior) Th. Tubingenfis.  
*Nicolai* (Philipp.) Theol. Hamburg.

## O.

*Opitius* (Henricus) Theol. Kiloniensis.  
*Otto* (Jo. Christophorus) Th. Rostochienfis.

## P.

*Pappus* (Jo.) Th. Argentorat.  
*Piscator* (Petrus) Th. Jenensis.

## Q.

*Qvenstedt* (Jo. Andr.) Th. Witeb.  
*Quistorpium* (Jo.) Theol. Rostochienfis.

## R.

*Raithius* (Balthasar) Theologus Tubingenfis.  
*Rappoltus* (Fridericus) Theol. Lipf.  
*Reinhart* (Elias Sigismundus) Th. Lipf.  
*Reneccius* (Jacob.) Th. Hamburg.  
*Reudenius* (Ambrosius) Th. Jenenf.

## S.

*Saxonicorum* Theologorum Apologia seu  
 Assertio decisionis solidæ quatuor con-  
 troverforum capitum.  
*Schallerus* (Jac.) Th. Argentinensis.  
*Scharfius* (Joh.) Th. Witeb.  
*Scheidius* (Balthasar) Th. Argentoratensis.  
*Seberzerus* (Jo. Adamus) Theol. Lipf.  
*Schiltorus* (Zacharias) Theol. Lipsienfis.  
*Schmidius* (Jo.) Th. Argentoratensis.  
*Schmidius* (Sebastianus) Th. Argentoratensis.  
*Strauchius* (Ægidius) Th. Witebergenf.  
*Svenonius* (Enevaldus) Th. Aboensis.

## T.

*Tabbertus* (Matthæus) Th. Gryphisvvaldenfis.  
*Tarnovius* (Joh.) Th. Rostochienfis.  
*Tarnovius* (Paulus) Th. Rostochienfis.

## U.


*Vavenius* (Augustus) Theol. Rostochienfis.  
*Veltbem* (Valentinus) Theol. Jenensis.

## W.

*Wagnerus* (Bernhardus) Th. Argentoratensis.  
*Wagnerus* (Tobias) Th. Tubingenfis.  
*Waltherus* (Michael) Th. Witebergenfis.  
*Weber* (Ananias) Th. Lipsienfis & Vratislav.  
*Wegnerus* (Gothofredus) Th. Regiomontan.  
*Weinmannus* (Jo.) Th. Altorfinus.  
*Weinreichius* (Georg.) Th. Lipsienfis.  
*Winckelmannus* (Joh.) Th. Gieffensis.  
*Wittebergenfes* Theologi.  
*Wittebergenfes* Theologi.

## Z.

*Zcemannus* (Georgius) Th. Campidonensis  
 & Strallund.  
*Zentgravius* (Jo. Joach.) Th. Argentinensis.



99 A 6989

ULB Halle 3  
002 824 795



56,

Retra ✓





2a

M I

AD  
 ONES PUBLICAS  
 IN  
 RISTOTELICÆ  
 TIGIA,  
 D DOCTRINAM DE  
 IDENTE  
 ORTHODOXIS PRESSA,  
 NEC NON IN  
 HUC E SACRIS  
 S MONUMENTIS FA-  
 NT, ILLUSTRATIONIS  
 IA SUBJUNCTA,  
 MERIDIANIS X. ET XI.  
 OSOPH. ADORNANDAS  
 HIE CONSECRANEOS  
 CET, HUMANITATE  
 INVITAT  
 Nus Ludovici, P.P.

